

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Eugene IV, Pope of Rome. Bullae Papae Eugenius IV. Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum.... dated 8th May 1443. Original document on parchment. rch. stor. Ord. Maur. (Turin), Fondo San Lazzaro, Mazzo 1, doc. 4

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [doc. X] [ISBN: 2911722205]

Eugenius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Iserniensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum debet adesse presidium ut eorum pium propositum possint ad laudem divini nominis adimplere. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Jacobus de Accia scholaris Capuanis cupiat unacum dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis Sancti Lazari Jerosolimitani, sub regulari habitu virtutum domino famulari, nos, volentes eundem Jacobum qui ut asserit de nobili genere procreatus existit in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus eundem Jacobum, si sit idoneus et aliud canonicum non obsistat, in fratrem dicti hospitalis auctoritate nostra recipias sibi que regularem habitum iuxta ipsius hospitalis consuetudinem exhibeas ac facias ibidem sincera in Domino caritate tractari.

Et nichilominus regularem professionem per fratres milites dicti hospitalis emitti consuetam ab ipso Jacobo auctoritate predicta si eam sponte emittere voluerit recipias, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus dicti hospitalis contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis.

Aut si pro aliis in dicto hospitali scripta forsan apostolica sint directa, seu si prefatis magistro et fratribus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, contradictores appellatione postposita per censuram ecclesiasticam compescendo.

Datum Senis anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quadragésimo tertio, octavo kalendis maii, pontificatus nostri anno tertio decimo.